



- 1. Scrutinium religionum Hier. Kr. [unclear]
- 2. de Autoritate S. Sca. et numero librorum  
canonicorum V. Sti. G. Calixti. 654.
- 3. de autoritate antiquitatis Ecclae. G. Calixti  
praef. Resp. M. Th. Hennrichius. 639.
- 4. de S. Sca. fide G. Calixti 637.
- 5. de Supremo iudicio liberum G. Calixti 661
- 6. de persona Christi programmata G. Calixti  
rationem fasciculi G. Calixti 663.
- 7. programmata in F. Sol. G. Calixti
- 8. de Sacrificiis N. Si in cruce pacto fide  
Fr. Ur. Calixti 665
- 9. Summa capituli relig. Chri. e corpore doctrinae  
Julio excerpta G. Calixti 661.
- 10. Discursus de non esse verum Christ. religio  
in ista indige. G. Calixti 652.
- 11. de providentia Dei praef. G. Calixti 635
- 12. Dei indefinititas p. M. I. Fr. Jungermann 637
- 13. Historia Magorum c. 3. Matth. G. Calixti 664
- 14. de primatu Rm. Pont. G. Calixti. K. M. Hannoveran. 660.
- 15. de gratuita justificatione. disp. inaug. G. Calixti  
fide G. Calixti, Resp. D. Gerh. [unclear]
- 16. [unclear] G. Calixti. 651
- 17. Responsum G. Calixti ad ep. Landgravi Hassia. 651

18  
19  
20  
21










alt. Nr. 407.

✓  
Kronmayer, Hia.

P. VII. 83.













27

JOHANNIS HENICHII  
SS. Th. D. & Professoris Primarii  
PROGRAMMA,

*In quo adversus*

DN. D. ÆGIDIUM STRAVCHIVM  
Professorem Wittenbergensem ostenditur,

Theologos Rinthelienses eorumque  
collegas non profiteri religionem  
versicolorem



RINTHELII, Typis Godofredi Caspari Wächter/  
Acad. Typogr. ANNO MDC LXIX.









JOHANNES HENICHIUS S. Th. D.  
& Prof. Primarius

JUVENTUTI STUDIOSAE

S. D.



Qui ad studia animum adjungunt, iis nihil optatius, nihilque utilius contingere potest, quam si in eruditos & industrios incidant præceptores. & ὅδ' μικρὸν διαφέρει, ait Philosophorum princeps, τὸ ἕτως ἢ ἕτως εὐθὺς ἐκ νέων ἐπιζητῶν (addo ego ἢ παιδεύεσθαι) ἀλλὰ παμπόλυ. μάλλον δ' ἐ τὸ πᾶν: Non enim parùm refert, sed perquam multum, sicne, an sic à pueris assuescamus (aut erudiamur) imò verò totum in eo positum est.

Quemadmodum enim

*Quo semel est imbuta recens servat odorem  
Testa diu:*

Ita qui pravis innutritus est sententiis, non temerè à se obtineri finit, ut eas missas faciat, sed per totam plerumque vitam illis inhæret & defendendis ac propagandis omnem impendit operam. E contrario quando quis bonos nanciscitur magistros, is sicut veras & rectas opiniones imbibit, ita etiam alios vicissim, quod verum & sanum est, docet, bonumque publicum egregiè adjuvat. Quocirca non possum non immortales Deo Opt. Max. agere gratias, qui me felicitatis hujus compotem reddere est dignatus. Quemadmodum enim adhuc puer fidos adolescentiæ doctores sum nactus, à quibus per humaniorum literarum campum & liberalium artium ætati isti convenientem orbem tam feliciter sum perductus, ut decimo octavo vitæ meæ anno à viris doctis dignus judicaret, qui ad Universitatem aliquam ablegarer: Ita singulari Dei providentiâ factum, ut præ aliis Academiam Juliam mihi eligendam censerem, in quâ aliquanto ac-





curatius divinarum, humanarumque rerum scientias excolere & te-  
 lam in municipalibus scholis abruptam pertexere allaborarem.  
 Quam egregie enim in illâ Academia studia tractentur, ex re & vero  
 alicubi in hunc modum exponit incomparabilis Theologus Georgius  
 Calixtus B. memoræ: *Coluit & colit* (Academia videlicet Julia)  
 præter humaniores, quas vocant, literas studium antiqua, germana, solida  
 & ut verbo dicam, Aristotelica Philosophia, explosis novitatibus & corru-  
 ptelis, quas paullo antequam ipsa oriretur, magno bona eruditionis damno  
 homo Veromanduuus invexerat. *Coluit & colit* studium primæ anti-  
 quitatis Ecclesiasticæ, tenax sinceritatis & simplicitatis doctrina, quam  
 de summis sanctæ nostræ religionis mysteriis proposuerunt, symbolisque &  
 confessionibus suis declararunt Oecumenica prima Concilia Nicanum, Con-  
 stantinopolitanum, Ephesinum & Chalcedonense; nec novitates, quas alli-  
 nere nonnulli conati sunt, umquam admisit: & veritatem è scripturâ de-  
 monstratam hoc etiam ipso testimonio rectè confirmari censuit. *Coluit &*  
*colit* studium concordie Ecclesiasticæ, & desiderat mitigari odia & dissidia,  
 quæ inter eos, qui de præcipuis Christianæ fidei fundamentis & articulis con-  
 sentiunt, invaluerunt, & non modo Ecclesiam, sed rempublicam quoque pes-  
 sumdant: quâ finis suadet distinguere necessaria à non necessariis, nemini quid-  
 quam affingi, & animos dissentientium in iis, in quibus est magnum momen-  
 tum, non convitiis exasperari, sed juxta normam caritatis, quam sibi mutuò  
 Christiani debent, comiter tractari, & ad agnoscendam veritatem validis  
 & efficacibus argumentis traduci. *Coluit & colit* studium pietatis, sanctimo-  
 niæ & observationis mandatorum Dei, tamquam ad reapse habendam ali-  
 quando beatitudinem necessarium: credit enim purè & simpliciter verum  
 esse, quod de idololatriâ, veneficio, adulterio, scortatione, lascivia, cadibus,  
 ebrietatibus, commestationibus & similibus flagitiis *Ἀποπένη* pronuncia-  
 vit Apostolus, eos qui talia agunt, regni Dei non fore heredes: nosque si secun-  
 dum carnem vixerimus, morituros; sed si spiritu actiones corporis mortifi-  
 ca verimus, vitâ potituros. *Fu*vent utem itaque scholasticam, in cujus mores  
 à continuis & diuturnis hisce bellis aliquid labis derivatum esse non est mi-

Pref.  
 diss. de  
 duab.  
 Qua-  
 stioni-  
 bus.






rum, quantâ possumus contentione & severitate monemus & urgemus, ut se-  
pietatis, castimonie & continentie studio muniant, ne flagitia & libidines  
non modo prosperitatem, quam hisce in terris sperare possint, elidant, sed o-  
mnem propitii numinis favorem & ipsam aeternam salutem eripiant. Enim-  
verò nihil hîc tam magnificè de laudatâ Academiâ vir beatus prædi-  
cat, quod non ita sese habere in eam translatus reapse deprehende-  
rim. Unde in sextum usque annum isthîc tum Philosophiæ, tum  
Theologiæ Doctores attentè, studioseq; audiivi, & cum primis laudati  
Calixti publicas, privatasque prælectiones constanter mihi frequen-  
tandas, obeundasque duxi. Ab hoc viro inter cætera didici, primitivæ  
Ecclesiæ consensum in rebus fidei tamquam principium seu normam  
quandam secundariam religiosè venerandam, animam rationalem,  
quum sit materiæ expers, à Deo immediatè produci, peccatum ori-  
genis abstractivè sumtum esse meram privationem, concretivè autem  
acceptum in casu recto quidem aliquid positivi, videlicet concupi-  
scentiam, importare, sed hanc esse materiale peccati illius, non au-  
tem formale, si *forma partis*, quam Metaphysici vocant, intelligatur;  
*ἀνομιαν* verò, quæ in obliquo connotetur, esse formale, per quod  
scilicet concupiscentia in esse peccati constituatur; nullam dari en-  
titem positivam, quæ non sit à Deo producta; Christum Domi-  
num posse quidem corpus suum præsens sistere in omnibus locis, ubi  
velit, non autem carnem ejus esse ubique, sed habere existentiam spa-  
tio creato circumscriptam & inclusam; observationem mandato-  
rum divinorum non quidem ut meritum, seu veram aliquam caus-  
sam, sed tamen tamquam causam sine qua non ad salutem esse ne-  
cessariam; animi moderationem in omnibus, præcipuè in sacris  
controversiis, adhibendam; abstinendum à temerariis & hodie ni-  
mium familiaribus condemnationibus; Cum primis cavendum, ne  
Reformatos, qui Pontificiis erroribus æquè ac nos valedixerint, tam-  
quam hæreticos & Diaboli filios aversemur odioque prosequamur,  
sed mansuetè potius ipsis errores, è quibus sese nondum expedire que-  
ant,





ant, ob oculos ponendos, & de cætero omnia Christianæ caritatis officia præstanda. Nihil horum & similium à viro beato didici, quod non hodieque exosculer & verum esse sim persuasus. Hinc erudientiæ juventuti in Academiâ hâc præfectus vestigiis illis constanter mihi insistendum ratus non solum argumentis solidis ex scriptura petitis dogmata Ecclesiæ nostræ semper probavi, sed simul etiam ostendi, nec priscam Ecclesiam aliter docuisse ac credidisse. Cum Reformatis autem, inter quos vivo, ita conversor, ut præbitâ oportunitate non negligam ostendere sententias nostras ipsorum dogmatibus oppositas & veriores esse & tutiores. Interim quia ipsi statuunt nos potius errare, præconceptisque opinionibus impediri, quominus veritatem cernere queamus; hinc ita dissentire in quæstionibus nonnullis perseveramus, ut tamen caritas Christiana nihil detrimenti inde capiat, nec temerè ullam alteri alteris inserviendi occasionem prætermittamus. Non possum non etiam publicum hoc testimonium Serenissimæ domui Hassiæ, ejusque præcipuis ministris perhibere, quod nobis omnem libertatem nostram sartam terram relinquunt & subditos confessioni nostræ addictos nullis prorsus exactionibus onerent. Quo nomine Ecclesiæ nostræ sub tam pio magistratu viventi ex animo gratulor. Nihil interim aliud ego & collegæ mei docemus ac profitemur, quàm quod sacræ scripturæ, priscis symbolis, invariatae Augustanæ confessioni, ejusdem Apologiæ & articulis Schmalcaldicis, ut & majori ac minori Catechismo Lutheri sit conforme. Formulæ autem concordiæ, quum in Comitatu hoc nunquam sit recepta, nemo nostrum subscribere aut juramento se adstringere necesse habet. Unde non possumus satis mirari, quid Dn. D. Ægydio Strauchio Academiæ Wittenbergensis Professori venerit in mentem, ut in publico quodam scripto contra eximium Jurisconsultum Dn. D. Christophorum Joachimum Buchholzen edito pronunciare non dubitaret, versicolore nos religionem hîc profiteri. Atrox sanè est hæc accusatio, quâ onerat nos vir ille de se nihil  
tale





tale meritos. Versantur in omnium manibus libri hactenus in lucem  
à nopis emissi. Num verò quicquam in illis reperitur, quod versico-  
lorem religionem sapiat? At, ait Dn. Strauchius, Calixtum qui lau-  
dat, ejusque sententias exosculatur, is non potest crimen versicoloris  
religionis à se deprecari. Id verò faciunt D. Henichius & ejus colle-  
gæ. Expressa enim hæc sunt Henichii verba in præfatione ad lecto-  
rem institutionibus præfixa: *Sanè sicut hic vir (loquor de Calixto) cui-  
vis veterum doctorum comparari meretur: ita tantum abest, ut ex ejus  
disciplinâ me prodisse negem aut doleam, ut hoc ipsum gloria mihi verti  
oportere, planè sim persuasus. Nihil ab ipso unquam audiui, nihil didici,  
quod non hodieque exosculer, nec permoveri me ullâ ratione sinam, ut iis  
placere studeam, quibus Calixtus noster displicuit. Neque aliter animati  
sunt Clarissimi Domini Collegæ mei: quo nomine non solum mihi, sed uni-  
versa huic Academia gratulor.* Ex hisce verbis Dn. Strauchius, uti dixi,  
sic argumentatur: Welche alle dasjenige küssen / herzen und lieben/  
was sie von Calixto gehöret / welcher doch denen Juden / Papisten / Cal-  
vinisten / Socianern / Arminianern und dergleichen Schwärmern hin-  
und wieder in seinen Schriften das Wort geredet / und in nicht weniger  
als in acht und achtzig Puncten wider die Augspurgische Confession  
und andere Lutherische Kirchenbücher öffentlich gelehret / auch eben  
durch Calixtinische Veranlassung die halsstarrigen Calvinisten unges-  
achtet ihrer Irrthümer als Brüder in Christo aufgenommen / derselbi-  
gen Religion muß Bundschäckige seyn / in dem sie mit Jüdischen / Pas-  
pitischen / Calvinischen / Socinianischen / Arminianischen und derglei-  
chen Schwärmer Farben angestrichen. Die Herrn Kinteler seyn nach  
Meinung Herrn Henichii die Leute welche alle dasjenige küssen / her-  
zen und lieben / was sie von Calixto gehöret / welcher doch ic. Darumb  
so muß der Herrn Kinteler Religion nach Meinung Herrn Henichii  
Bundschäckige seyn / in dem sie mit Jüdischen / Papistischen / Calvini-  
schen / Socinianischen / Arminianischen und dergleichen Schwärmer  
Farben angestrichen. Atat hoc illud est, hinc illæ lacrymæ. Tanto  
scilicet.





scilicet odio optimum Calixtum prosequuntur, de quorum iniquitate in praesentia conquerimur, ut ferre nequeant, ullo virum tam praecclare de Ecclesia nostra meritum elogio ornari. Idem ille livor, qui vivum tantopere vexavit, & in vivo passus est, ne quidem, post fata ut quiescat, sibi imperare potest. Verum enim vero unde probatum dabit Dn. D. Strauchius Calixtum illius culpae ad finem fuisse, cujus reum ipsum peragere non veretur? Ait quidem, Calixtus habe hin und wieder denen Juden/Papisten/Calvinisten/Socinianern/Arminianern und dergleichen Schwärmern das Wort geredet/ und in acht und achtzig Puncten wider die Augspurgische Confession und andere Lutherische Kirchenbücher öffentlich gelehret; at ego certus sum summam viro inferri injuriam, si hic sit pronunciati illius sensus, Calixtum Judaeorum, Pontificiorum, Socinianorum, Arminianorum & aliorum errores ullibi defendisse. In aeternum id Dn. Strauchius probare non poterit, quancumque tandem molimine rem agat. Inspiciat lector candidus & seposito tantisper partium studio consideret, quae à Calixti adversariis fuerunt objecta & quae partim ab ipso partim ab ejus Filio, Dn. D. Friderico Uldarico, Viro Cl. reposita; tunc nullo negotio deprehendet, immunem virum beatum fuisse ab illis erroribus, quorum postulatur. Quum olim vir beatus in censuris à Missenta editis Atheismi, Photinianismi & similium insimularetur, valde conquestus est eadem de re B. Dn. D. Hornejus & inter caetera ad me Bardovici in Ducatu Lunæburgico adhuc tum degentem sic scripsit: *Nescio etiam an videris censuras contra D. Latermannum à Missenta Dantisci editas unà cum multis ejusdem argumenti epistolis. In utrisque Calixtus & ego vehementer perstringimur, imò supra modum & praesertim Calixtus Atheismi, Photinianismi & similium accusamur tantà impudentiâ, ut nihil supra. Interim Deus adjutor noster erit, cujus causam defendimus.* Dn. D. Johannes Reinboth tunc temporis ex Holfatia itidem ad me literas misit, in quibus haec habentur verba: *Helmstadienses meritò veneror & inter hos imprimis Calixtum ob insi-*  
*guentem*





gnem eruditionem, quam & in hostibus nostræ religionis magnifacere soleo. Optimum autem virum assertionibus suis ad Atheismum & Photinianismum, uti scribis nonnullos maleferiatos de ipso sentire, fores pandere, tantum abest, ut credam, ut certus sim, si quisquam Christianorum fuerit, qui ex animo hac monstra detestetur, Calixtum esse, cujus scripta etiam calumnias hasce exactè refutare possunt. Qui enim Atheismi insimulari potest, qui ex lumine rationis Deum esse, ejusque providentiam demonstrat & exactè de veritate religionis Christianæ differit? Quæ ratione etiam Photinianus haberi potest, qui omnes articulos fidei eo sensu, quo nostræ & universalis Ecclesia intelligit, explicat & defendit? Hoc testimonium sicut Dn. Reinbotius ex re & vero optimo Calixto anno XLIIIX. die VI. Julii, quo datæ fuerunt illæ literæ, perhibuit: ita falsissimè hodiè à Domino Strauchio & aliis ille accusatur octoginta octo Augustanæ confessionis & aliorum librorum Symbolicorum in Lutheranâ Ecclesiâ receptorum articulos subruisse, quum ne unum quidem umquam impugnârit, sed omnes firmiter adseruerit, quàm ullus Antagonistarum. At, pergit Strauchius, alle reine Theologi sind der Meinung/ daß die jenigen/ welche sich mit Ketzern verbinden/ eine bundschädliche Religion haben. At Theologi Rinthelienenses fraternam amicitiam inierunt cum hæreticis, videlicet cum Calvinianis, in colloquio Cassellano. Wer (aber) ein Lutheraner seyn wil/ und dennoch die Calvinisten vor seine Brüder in Christo ansiehet/ derselbige muß gar nicht wissen/ was die wahre/ allein seligmachende Religion für eine Farbe habe. Bona verba quæso Dn. D. Strauchi. Quousque fraternam amicitiam cum Dn. Theologis Marpurgensibus nos inierimus, partim ex relatione colloquii Cassellani, partim ex epistola nostra Apologetica nemini potest esse obscurum. Nos sanè sententiis Ecclesiæ nostræ constanter inhæsimus, easque pro virili in dicto colloquio defendimus. Interim quia laudati Theologi Marpurgenses consequentias, quarum beneficio ex ipsorum hypothesebus nonnulla fidei Catholicæ contraria deducere satagemus, admittere noluerunt & sanctè

B

contesta-





contestati sunt, se æque sibi (ut hoc duntaxat dogma nunc loco ex-  
 emplii adducam) Christi meritum ac nos applicare, in eoque obti-  
 nendæ remissionis peccatorum non minus, quàm nos, fiduciam figere;  
 non potuimus, fateor, adduci, ut ipsos pro hæreticis & hominibus  
 communione Christianâ indignis habendos judicaremus, sed ma-  
 luimus hîc Christianæ tolerantia locum relinquere, præsertim  
 quum æquè benignè erga nos se adfectos esse declarassent. Interim  
 7. 57. disertè dicimus in epistola nostra Apologetica: *Neque nos excusamus*  
*equidem neque elevamus Reformatorem errores: graves, periculosos, pro-*  
*re natâ etiam* (puta si quis consequentiæ vim pervideat & tamen iis  
 valedicere detrectet) *noxios fatemur esse & totâ hâc fassi Epistolâ sumus.*  
 Num verò, qui ita loquitur de erroribus Reformatorem, de colore  
 illorum participat? Ut autem sententia nostra eò, rectiùs adhuc in-  
 telligatur & homonymiæ evolvantur, non negamus nos, Reforma-  
 tos, qui particularitatem gratiæ ac meriti Christi defendunt (de his  
 enim nunc potissimum est controversia) erroribus adstipulati, qui-  
 bus indirectè saltem & per consequentiâ evertatur dogma aliquod  
 fidei; sed ejusmodi errores fundamentales à Reformatis illis foveri,  
 qui directè & ipsis verbis fundamentum fidei subruant, id verò  
 negamus & pernegamus. Hinc verò jam porrò statuimus, si quis  
 ex Reformatis videat ex opinionibus suis sequi aliquid, quod sit  
 hæreticum & fundamento fidei contrarium, & tamen sui compen-  
 dii & redituum sive acquirendorum sive retinendorum vel etiam  
 existimationis conservandæ gratiâ illis non renunciet, cum ipso fa-  
 cto esse hæreticum, nec fidem salvificam habere posse. Quocirca si  
 nos, qui consequentiæ vim capimus, nihilominus Reformatorem  
 opinionibus calculum adjiceremus, non possemus non hærescos cri-  
 mine nos obstringere: quæ lanè constans est nostra sententia ac pro-  
 inde etiam impedit, quominùs ad Reformatos transeamus, quibus  
 sine dubio rem longè gratissimam faceremus, si relictis nostris coeti-  
 bus ipsorum sacra amplecteremur. Quotquot autem ex Reforma-  
 tis

tis.





tis ita erroribus adstipulantur, ut consequentias, quarum beneficio  
 errores directè fundamentales ex ipsorum hypothefibus inferuntur,  
 negent, neque vim illarum adsequantur, illi utique sicut fidem salvi-  
 ficam habere possunt, ita neutiquam hæreticis annumerari meren-  
 tur. Quando jam quaritur, num Reformati pro fratribus sint haben-  
 di, distinctione opus est, ut ad quæstionem hanc rectè respondeatur.  
 Non fanè sunt fratres nostri eo modo, quo illi, qui uniformem do-  
 ctrinam nobiscum profitentur, sine erroribus etiam iis, qui indirectè  
 fundamentum fidei labefactant. Sunt autem fratres, quatenus non  
 obstantibus erroribus, quos tuentur, dummodo contra conscien-  
 tiam id non faciant seu consequentiæ & conclusionibus inde de-  
 ductis non adstipulentur, veri fideles & consortes vitæ æternæ esse  
 possunt. Disertè alicubi B. Hülsemannus: *Præsentiam Christi cor-*  
*poralem in cæna è præterea verborum institutionis firmissimè sequi, indu-*  
*bitanter verum est. Si quis verò persuasus sit, eum verborum CHRISTI*  
*sensum non esse, ut corporalis ejus præsentia inde adstrui possit vel debeat, salutè*  
*quia cum adscensione in cælos & veritate humana natura pugnet (verè ne credi-*  
*an secus jam non quaritur) hoc quaritur; An qui ita doctus sit, nec secus tu ne-*  
*scientes damnet, semet verò ab informatione non subtrahat, salutarem in*  
*Christi meritum fiduciam collocare non possit, propterea quod verba cæna*  
*non intelligenda esse censet, prout jacent? Quod erret dubium nullum est;*  
*an exitialiter erret, maximum. Sanè veritatem verbis Christi qui detra-*  
*hit, sibi ipsi salvatorem detrahit, qui in uno non minùs, quàm in alio dogma-*  
*te falsum dicere potuerit; an verò is salute excidat, qui ignorans detra-*  
*hit, imò quod non detrahat planè persuasus est, affirmare non ausim. At,*  
 ait Dn. D. Strauchius, susceptos à nobis esse tamquam fratres Cal-  
 vinianos pertinaces. Die Herren Rinteler/ ait ipse, seyn nach Mei-  
 nung Herren Henichii die Leute / welche alle das jenige zc. und durch  
 Calixtinische Veranlassung (id enim ex antecedente majori propo-  
 sitione repetendum esse Dn. Strauchius non negabit) die Halsstarrig-  
 e Calvinisten/ ungeachtet ihrer Irrthümer als Brüder in Christo auff-  
 genommen

Disp.  
 de do-  
 gmati-  
 bus ad  
 salu-  
 tate  
 in  
 cessa-  
 riss.





genommen. Verum enim verò unde constare nobis potuit vel potest de  
 Dn. Theologorum Marpurgensium, quibuscum Cassellis nobis res-  
 fuit, pertinaciâ? Num nos penetralia cordium rimari & introspicere  
 valemus? Quis nescit, quanta vis sit in utramque partem inolitæ opi-  
 nionis, præsertim in religionis negotio? Rectè enim Origenes: *Faci-  
 lius quis alia sibi consueta exuat, quantum vis illis affixus sit, quàm ea, quæ  
 dogmatum sunt.* Absit igitur, ut humanitatis obliviscamur in peccato  
 humanitatis aut quicquam atrocius de Reformatis suspicemur, utut  
 impetrari à se non patiantur, ut dogmatibus suis, quæ contra nos de-  
 fendunt, valedicant. In plerisque sanè quæstionibus de gratia & præ-  
 destinatione auctore illi habent Augustinum, quicquid contradicant  
 Dn. Wittenbergenses, nec dubio res caret, annon de S: Eucharistia  
 vir sanctus eandem cum ipsis foverit sententiam. Nemo certè no-  
 strum de Eucharistiâ hodie ita loquitur, quemadmodum Augustinus  
 interdum loquutus est. Quicquid autem hâc dere sit, [nec enim  
 super eâ cum quoquam ferram contentionis reciprocare cupio,  
 quum ipse etiam loca ex sancto illo viro à Reformatis adferri solita  
 benignius interpretari consueverim] illud certum est, & particularem  
 gratiam & operationem gratiæ irresistibilem, ut in Belgio loqui cœ-  
 perunt, à laudato Patre fuisse adfertam. Neq; pugnant Reformati ad  
 tuenda sua dogmata aliis scripturæ dictis, quàm quibus ipse in memo-  
 ratas sententias se impelli est passus. Annon igitur caritati Christianæ,  
*quæ non exacerbat, non cogitat malum, omnia credit, omnia sperat, omnia  
 sustinet,* summe est consentaneum, ut etiam ipsos Doctores Reforma-  
 tos (simplicioribus enim nemo nostratum, quod sciam, damnatio-  
 nem intentare audeat) quum Augustinum à partibus suis stantem habe-  
 ant, *errare, sed bono animo errare,* erroresque suos *non odio, sed affectu  
 Dei* propugnare præsumamus? Quantus enim vir fuerit Augustinus  
 & quantæ semper in Ecclesia autoritatis, notius est, quàm ut prolixè  
 hic memorari indigeat. Non dubitat sanè B. Lutherus noster *de tæ  
 pntæ* ei testimonium perhibere, *quod Ecclesia Christiana post Apostolos  
 Docto-*





*Doctorem ipso præstantiorem non habuerit.* Eò verò benigniùs ac  
mitiùs tractari merentur Reformati, quod, ut schismatis crimen à se  
amoliantur, in nos, quos periculosè, si consequentiæ vis attendatur,  
errare reciprocè persuasi sunt, nullam acerbiolem sententiam ferant.  
Credunt, non leuibz nos erroribus adstipulari, sed ita hoc credunt,  
ut nulli dubitent, quin errores nostros à majoribus & magistris ac-  
ceptos nullâ malâ fide, conscientia ve tueamur. Hinc nos ut verè fi-  
deles vitæque æternæ consortes diligunt, reapse etiam oportunitate  
præbitâ affectum suum nobis probantes. Prodeant pastores nostræ  
confessionis, quotquot in comitatu hoc degunt, & ex lege consci-  
entiæ respondeant, annon identidem Dn. Reformatorum tum alio-  
rum, tum eorum, qui Cancellariæ Hasso-Schaumburgicæ hoc loco  
sunt præfecti, benevolentiam experiantur? Non diffitebuntur id,  
scio, nec possunt diffiteri, quum rerum testimonia adsint, eaque  
cunctis sint notiora, quàm ut negari queant. Sic quum erga nos  
sint animati, absit, ut nos in eos sæviamus, absit, ut implacabiliter ipsis  
ob errores suos, quibus quasi nascendi lege irretiuntur, irascamur.  
At, inquires, argumentis satis evidentibus errorum suorum toties sunt  
convicti & tamen in illis hæere pergunt? Ego verè repeto, quod  
pridem dixi, magnam inolitæ opinionis esse vim atque efficaciam.  
Unde non statim ipsis est evidens, quod nobis fortè est obvium. Nec  
sequitur: *Hic vel ille in errore suo perseverat, utut argumentis invictis  
veritas adversus eum sit defensa & probata: Ergo est pertinax & contra  
conscientiam errores suos tuetur.* Fieri enim potest, ut mentis oculus  
tam spisso glaucomate sit suffusus, ut veritatem cernere nequeat,  
quantumvis ea clara sit & solem ipsum gestes in manibus. Quis igitur  
ejusmodi hominem statim pertinaciæ & malitiæ alicujus accusare ac  
damnare velit? Sanè etiam Domini Wittenbergenses non desinunt ea  
negare, quæ satis evidenter partim à Dominis Theologis Helmsta-  
diensibus, partim ab aliis sunt demonstrata. Labet id nunc unico  
duntaxat exemplo comprobatum dare. In illâ ipsâ præfatione In-  
stitutio-






stitutionibus meis præmissâ, quam Strauchius allegat, inter cætera sic  
 dissero: Divortium à Stegmanno faciunt ipsi illi, qui nobis ejus authorita-  
 tem objiciunt, dum effutire haud erubescunt, observationem mandatorum  
 divinorum non esse necessariam ad salutem. Quod quando orbi Christiano  
 persuadere laborant, equidem non video, quo jure, quave injuriâ in Refor-  
 matos illos tantoperè detonare possint, qui hominem semel justificatum pro-  
 labi quidem posse adserunt in scelera & flagitia, sed accidere non posse, ut  
 propterea DEI favore excidat, aut damnationem incurrat. Si enim nullo  
 modo ad salutem necessaria est homini justificato observatio mandatorum  
 divinorum, nec necessarium ei fuerit ad salutem, ab operibus carnis absti-  
 nere. At, cui non est necessarium ad salutem opera carnis de vitare, is  
 profectò non excidet salute, utut opera carnis perpetret, nullamque consci-  
 entia sua rationem habeat. A quo namque abstinere homini justificato  
 nulla ratione ad salutem est necessarium, illud perpetratum non magis ipsum  
 salute excludet, quàm si perpetratum numquam fuisset. Hæc quamvis  
 longè sint evidentissima; tamen tantum abest, ut Dni. Theologi  
 Wittenbergenses ea admittant, & in iis acquiescant, ut multis ista  
 evertere conentur. Ita enim in Antapologiâ suâ, postquam me more  
 suo prolixè perstrinxissent, scribunt: *Maximè hæc diversa sunt ne-  
 cessarium esse, ut abstineat justificatus à carnis operibus, nisi justificatione  
 & salute excidere velit. Et necessaria esse bona opera ad salutem aeternam ob-  
 tinendam & consequendam: neque ex isto priori hoc posterius inferri potest.*

p. 504. Nam potest utique alicujus intermissio necessaria alicui esse, ne pereat, cujus  
 & pag. tamen contrarium non necessarium sit, ut salutem consequatur: uti hominè  
 505. impio necessarium, ut desistat ab impietate, ne pereat, cum justificandus est,  
 nec tamen pietatis studium contrarium ad justificationem, quâ liberatur ab  
 interitu, necessarium est, ideoq; & abstinentia à peccatis mortalibus necessa-  
 ria esse potest, ne pereamus, nec tamen contrarium studium sanctitatis ad sa-  
 lutem necessarium dicendum est. Et annon necessarium est, ne quis vitâ tem-  
 porali privetur, ut abstineat à veneno, etsi usus antidoti veneno oppositi non  
 sit necessarius ad id, ut in vitâ servetur, cum per venenum sibi non accersit

v12





vitæ periculum? annon homini restituto à morbo necessarium est, ne diætæ transgressione peccet, & vitam amittat, etsi ipsa diætæ observantia ei propriè vitam non conciliet, aut ad vitam ei conciliandam necessaria sit? Sic abstinentia à criminibus & flagitiis potest necessaria esse, ne quis excidat paternâ hereditate, nec tamen studium virtutis ad paternam hereditatem consequendam aliquid facit, aut necessarium dicendum est; neque dubium est ad conservationem terrenæ hereditatis non esse omnia illa factu necessaria, quorum contraria necessaria omissu sunt, ne hereditate quis excidat; multo ergo minus ita concludendum est de cælesti hereditate. Plura adscribere in præsentia non juvat, quia aliàs cætera examinandi dabitur occasio. Nunc tantùm moneo Dn. Wittenbergenses frustra tantoperè se fatigare, ut probent bona opera non esse necessaria ad salutem æternam consequendam. Etsi enim propositio illa: Bona opera sunt necessaria ad salutem, in illo sensu, quo B. Hornejus eam explicat, longè est verissima; ego tamen neq; in præfatione citata, neq; alibi umquam eâ sum usus. Propositio autem mea hæc est: A quo abstinere nullâ ratione ad salutem obtinendam est necessarium, illud perpetratum non magis committentem vel perpetrantem salute excludit, quàm si perpetratum numquam fuisset. Subsumo jam: Atqui juxta Dn. Wittenbergenses ab operibus carnis abstinere nullâ ratione ad salutem obtinendam est necessarium. Ergo juxta Dn. Wittenbergenses opera carnis perpetrata non magis perpetrantem salute excludunt, quàm si perpetrata numquam fuissent. Quir igitur, inquam denuo, tantopere detonant in Reformatos (quibus tamen nemo nostrum hæc in re ad stipulatur) quod hominem semel justificatum prolabi quidem posse adserant in flagitia, sed accidere non posse, ut propterea Dei favore excidat? Quid autem desideratis in meo illo syllogismo, & cur ratio-

cina.





cinationem hanc meam ἀβλεψίαν & ἀκρίσιαν imò paralogismum  
 vocatis, ô optimi? Annon propositio major ex se & suis terminis est  
 nota? Nititur profectò ea ipso primo principio, quo omnis humana  
 cognitio regitur. Nam si non est vera ista mea propositio, necessum  
 est, ut veram esse ejus contradictoriam fateamur, quum utraque si-  
 mul aut vera aut falsa esse nequeat. Contradictoria hæc fuerit:  
 Non à quo abstinere ad salutem obtinendam nullâ  
 ratione est necessarium, illud perpetratum non salute  
 excludit. Huic autem æquipollet ista: Quoddam, quod  
 ita est comparatum, ut ab eo abstinere nullâ ratione  
 necessarium sit ad salutem, illud perpetratum salute  
 excludit. Quid verò absurditùs excogitari potest hæc propositio?  
 Annon enim ea manifestâ se involvit contradictione, ita ut subjectum  
 tollat prædicatum & prædicatum vicissim destruat subjectum? Nam  
 subjectum ponit, *aliquid nullâ ratione ad salutem obtinendum esse neces-  
 sarium*; at prædicatum ponit, *idem tamen perpetratum salute excludere*.  
 Quomodo autem id perpetratum salute excludit, si ab eo abstinere  
 nullâ ratione est necessarium ad salutem? Num ab hereditate con-  
 sequendâ quicquam arcere hominem potest & excludere, à quo ab-  
 stinere nullâ ratione necessarium est ad hereditatem consequen-  
 dam? Ponamus Titium Cajo legare centum aureos hæc conditio-  
 ne, si abstineat à familiaritate Sempronii. Quis non rideat Cajum,  
 si jam ille dicere velit: Familiaritas Sempronii me quidem privaret  
 promissis centum aureis, si illam non vitarem, sed tamen vitare illam  
 seu abstinere ab illa nulla ratione mihi est necessarium ad consequen-  
 dos centum aureos? Minor autem itidem à Dominis Wittenbergen-  
 sibus negari nequit. Nam juxta illos observatio mandatorum divi-  
 norum (tam videlicet negativorum, quàm affirmativorum) nullâ  
 ratione est necessaria ad salutem obtinendam. Juxta eosdem igitur  
 necessarium ad salutem consequendam esse nullâ ratione potest ab-  
 stinere





stinere ab operibus carnis, quæ mandatis divinis prohibentur. Eant nunc Domini Wittenbergenses & exclament. *Nimia est hæc in Henichio ἀβλεψία vel ἀκροσία.* Nimia potius est hæc in Dominis Wittenbergensibus ἀβλεψία vel ἀκροσία, inquam ego. Quod ut eò manifestius reddatur, consideremus instantias, quibus propositionem meam majorem infringere conantur. *Homini impio, inquit, necessarium est, ut desistat ab impietate, ne pereat, cum justificandus est, nec tamen pietatis studium contrarium ad justificationem, quâ liberatur ab interitu, necessarium est, ideoque & abstinencia à peccatis mortalibus necessaria esse potest, ne pereamus, nec tamen contrarium studium sanctitatis ad salutem necessarium dicendum est.* Quis hic non admiretur ἀκροσίαν Dni. Wittenbergensium & simul non indignetur, miserum Henichium tantâ ἀκροσία & ἀβλεψία laborare, ut tantas subtilitates capere non valeat? Nolite autem irasci, mei Dni. Wittenbergenses, si ostendero, vestram illam instantiam prorsus esse alienam nec quicquam ad rem facere. Propositio enim mea hæc est: A quo abstinere nullâ ratione est necessarium ad salutem, illud perpetratum non magis excludit salutem, quàm si perpetratum numquam fuisset. Ut igitur ad rem faciat vestra instantia, sic vobis erit argumentandum: *Si propositio allata est vera, jam hæc quoque fuerit vera:* A quo desistere nulla ratione est necessarium ad beneficium justificationis consequendum, illud continuatum non magis arcet à justificatione, quàm si continuatum numquam fuisset. Sed concedo hanc quoque majorem esse veram, & si jam sic subsumatis: Atqui juxta Henichium nullâ ratione necessarium est ad justificationem desistere ab impietate; dico minorem esse falsissimam. Firmissime enim statuo ei, qui justificari velit, desistere ab impietate ad justificationem æquè esse necessarium atque homini justificato necessarium ad salutem esse existi-





mo, abstinere ab operibus carnis. Quod si autem Dni. Wittenber-  
 genses in hunc modum subsumant, inferantque: Atqui juxta nos  
 (Wittenbergenses) nulla ratione ad justificationem est  
 necessarium desistere ab impietate. Ergo juxta nos  
 impietas continuata non magis à justificatione arcet,  
 quam si continuata numquam fuisset; jam concedo to-  
 tum argumentum & gratulor Dnis. Wittenbergensibus, quod tam  
 egregiè semetipsos ad absurdum, ut loquuntur scholæ, deducere  
 didicerunt. Tantum simul opto, ut, quemadmodum conclusionem  
 esse absurdam sine dubio agnoscunt, ita pariter agnoscant, quum ma-  
 jor negari nequeat, perperam se hætenus adservisse, quod contine-  
 tur minori propositione, videlicet *desistere ab impietate nullâ ratione  
 esse necessarium ad justificationem homini impio, siquidem justificari velit.*  
 Et tantum de primâ Dominorum Wittenbergensium instantiâ. Se-  
 quitur secunda æquè egregia. *Annon necessarium est, inquit, ne  
 quis vitâ temporali privetur, ut abstineat à veneno, et si usus antidoti ve-  
 neno oppositi non sit necessarius ad id, ut in vitâ servetur, cum per venenum  
 sibi non accersivit periculum.* Denuò nihil ad rem profertis, ô Optimi.  
 Neque enim ex mea tories allatâ propositione hæc inferri potest:  
*A quo abstinere ad servandam vitam temporalem est necessarium, ejus  
 contrarium est necessarium ad id, ut quis in vitâ servetur.* Hanc autem  
 propositionem ex mea assertione colligere promptum fuerit:  
 A quo abstinere nullâ ratione est necessarium ad con-  
 servandam vitam temporalem seu ad id, ne quis vita  
 temporali privetur, ejus usus non magis vitâ tempo-  
 rali quemquam privat, quàm si eo usus numquam  
 fuisset. Hanc verò propositionem concedo, & verissimam esse  
 certus sum. Quod si talis à me formata fuisset propositio: A quo  
 abstinere ad vitandum aliquod damnum, & conser-  
 vandum





vandum aliquod bonum est necessarium, ejus con-  
 trarium est factu necessarium ad vitandum illud da-  
 mnum & conservandum illud bonum; forrassis locus  
 aliquis relinquendus foret instantiis, quibus Dni. Wittenbergenses  
 sibi tantoperè placent. At illâ propositione nusquam sum usus, ac  
 proinde Dni. V Wittenbergenses cum larvis suis luctantur, & nihil nisi  
 Logicorum risum merito suo reportant, quando tot instantiis illam  
 destruere satagunt. Desinant, obsecro, imposterum andabatarum  
 instar tam cæcis & ridiculis iectibus pugnare ac proinde, quoties ingre-  
 di parant disputationem aliquam, etiam atque etiam sibi videndum  
 existiment, ut, quidnam illud sit, de quo controversitur, rectè intel-  
 ligant. Quod quum hac vice odio mei occæcati prorsus non ob-  
 servare in animum semel induxerint, non mirum est eos ita pergere:  
*Annon homini restituto à morbo necessarium est, ne diætæ transgressione  
 peccet, & vitam amittat, etsi ipsa diætæ observantia ei propriè vitam non  
 conciliet, aut ad vitam ei conciliandam necessaria sit? Nusquam ego  
 scripsi, studium bonorum operum vel observationem mandatorum divino-  
 rum homini justificato salutem conciliare eò quod transgressio legis divinæ  
 hominem salute excludat. Quorsum ergo ista Dominorum Wittenber-  
 gensium instantia? Hanc autem propositionem tamquam verissi-  
 mam admitto: Cui necessarium est diætam observare, ne vitam amit-  
 tat, ei ad retinendam vitam necessaria est diætæ observantia. Quando  
 jam subsumitur & infertur: Atqui homini restituto à morbo necessarium  
 est diætam observare. Ergo homini restituto ad retinendam vitam est ne-  
 cessaria diætæ observantia; jam conceditur totum argumentum. Etsi  
 enim homini restituto non est necessaria diætæ observantia ad conci-  
 liandam ipsi vitam, quia vitam jam præsupponitur habere; tamen ei  
 est necessaria ad conservandam & retinendam vitam, præsertim si  
 diætæ transgressionem ipsi summè esse noxiam sit exploratum. Ut  
 compendium fiat verborum, hæc est mea propositio, qua tanquam  
 fundamento nititur major principalis mei syllogismi Domi-*

C 2

nis








nis VVittenbergensibus oppositi: *A quo abstinere ad rem aliquam consequendam, quâ nondum potitus es, tibi nullâ ratione est necessarium, illud usurpatum vel frequentatum aut commissum non magis te à potiunda illâ re arcet ac prohibet, ac si usurpatum vel frequentatum aut commissum numquam fuisset.* Veram etiam hanc propositionem esse censeo: *A quo abstinere nulla ratione tibi est necessarium ad conservandam aliquam rem, quâ jam potitus es, seu quam jam habes, illud usurpatum vel frequentatum aut commissum non magis te privat illa, quâ potitus es, quàm si usurpatum vel frequentatum aut commissum numquam fuisset.* Jam experiantur Domini VVitrenbergenses, utrum vel priorem vel posteriorem propositionem ulla infringere possint instantia & nos arrectis auribus auscultabimus. Interea integrum mihi est argumentum meum repetere: *A quo abstinere justificato nullâ ratione est necessarium ad conservandum statum gratiæ & consequendam salutem, illud perpetratum non magis committentem statu gratiæ privat & à salute consequenda arcet, quàm si perpetratum numquam fuisset.* Atqui juxta Dn. Wittenbergenses ab operibus carnis justificato nulla ratione est necessarium ad conservandum statum gratiæ & consequendam salutem. Ergo. Necessum itaque est, ut concedant Domini VVittenbergenses, posse aliquem impunè & absque jacturâ divinæ gratiæ proximum occidere, scortari, adulterium committere, furari, proximum spoliare, opprimere per imposturas, circumvenire, defraudare, calumniari, affingere ipsi, quorum numquam in mentem venerit, & sic falsò eum traducere, agros & ædes alienas fraudulenter appetere vel etiam vi invadere, & sic reliqua carnis opera pro lubitu perpetrare. Quamvis autem hoc ipsum ex VVittenbergensium illâ assertionem, quâ *abstinere ab operibus carnis nullâ ratione esse necessarium ad conservandum statum.*





*statum gratia & consequendam salutem* pronunciant, evidenter sequatur & rectissime deducatur; numquam tamen, sat scio, se induci patientur, ut suo illi dogmati renuncient & abstinentiam ab operibus carnis atque adeo saltem observationem præceptorum divinorum negativorum ad conservandum statum gratiæ & salutem æternam consequendam necessariam esse concedant. Nihilominus viris illis pertinaciam aut libidinem studium pietatis labefactandi & fenestram ad nequitiam aperiendi objicere nobis religio est, præsertim quum adsertionis suæ immemores auditores suos identidem cohortentur, ut juxta normam præceptorum divinorum vivant & secundum spiritum, non autem secundum carnem, ambulent, nisi æternæ salutis jacturam facere velint. Atque hæc etiam est causa, quare ad Antapologiam, quam Dn. D. Bucholcero tantoperè commendat Dn. Strauchius, & in qua tam inclementer ego cum primis exagitor, hætenus quicquam respondere noluerimus, ne videlicet in propria viscera sæviendi cupiditate flagrare videremur. Tum verò speravimus confore, ut patientia & silentio nostro dissentientium animi mitigarentur & odium ipsorum, quod numquam provocavimus, in amorem commutaretur. Quum autem spem illam irritam esse videamus & multi viri cordati existiment, nos existimationi nostræ malè consulturos, si nullo prorsus defungamur responso; fieri fortassis potest, ut brevi quamdam declarationem epistolæ nostræ Apologeticæ publicemus, & in ea præcipuas Dominorum VVittenbergen-  
stium objectiones dissolvamus. Neutiquam autem par pari referemus, sed memores cum fratribus eidem confessioni addictis rem nobis esse, modestè omnia pertractabimus, reapse declaraturi, cujus spiritûs filii simus, & quantopere à litibus & contentionibus simus alieni. Sanctè enim protestamur, nos non ita pacem sectari cum Reformatis, ut eam cum nostratibus amittere gestiāmus, sed nihil magis in votis habere, quàm ut lites, quæ hinc inde inter nostrates magno infirmorum fratrum offendiculo hætenus sunt agitata, quàm






ocysissime componantur. Neque umquam publico scripto Reformatorum causam defenderemus, nisi *in vitium hoc vitis arctaremur alieno*, ut Hilariana phrasi utamur. Vos autem, Studiosi optimi, sicut nôstis, & bona fide testari potestis, nullam umquam acerbiorrem vocem nobis adversus Dn. Theologos VVittenbergenses, quos propter singularem eruditionem veneramus & magni facimus, excidisse; sicut etiam optimè meministis à nemine nostrum quicquam umquam prolatum, quod cum articulis invariatae Augustanae confessionis videri queat pugnare: ita cavebitis, spero, ne vos moveri patiamini clamoribus illorum, qui Christiano orbi persuadere enitentur, versicolore nos religionem hîc profiteri. Nos sanè illis & reliquis omnibus, quotquot hætenus multifariam nos impetierunt, lubentes ignoscemus, in neminem eorum quicquam asperumquam dicturi. Quin per nos licet, ut, si studium concordiae ecclesiasticae ipsis non aridet, sensu suo abundant, & quosvis dissidentes æterno exitio devoveant, dummodo in nos aliter animatos & à condemnandis etiam Doctoribus Reformatis alienos nullum sibi arrogent imperium. Quum enim ex iis, quæ de necessitate observationis mandatorum divinorum vel de necessitate abstinentiae ab operibus carnis ad salutem contra Dnos, Wittenbergenses disputavimus, satis superque pateat, fieri posse, ut etiam viri doctissimi, quales sanè sunt Theologi Wittenbergenses, ipsa quoque illa, quæ in se satis sunt evidenter, negent nec tamen propterea pertinaciae crimen statim incurrant; equidem prorsus nobis persuademus, ipsos quoque Dd. Reformatos solo errore intellectus abripi: à malitiâ verò ambitione, pertinaciâ immunes esse; neq; si convicti fuerint, dummodo vim argumentorum adsequi valeant, contra, quàm demonstrari & evinci intellexerint, sive reclamante conscientiâ quidquam ulterius adserturos aut defensuros. Lubens tamen fateor, ipsis incumbere, ut veritatem inquirant & fræno affectibus (his enim qui indulget, is malè verum examinat,) imposito argumenta nostratum considerent.

Quod





Quod sicut ipsos facere & porrò facturos piè confido: ita, quamvis non statim se convictos agnoscant, tolerandos tamen puto nec omni prorsus societate ecclesiasticâ excludendos. Hæc est mea & collogarum meorum sententia, à quâ nos nemo mortalium umquam dimovebit. Non leves quidem adversus nos ob constans illud pacis religiosæ studium surrexerunt procellæ, sed easdem experti sunt B. Præceptores nostri, quibus itidem propositum fuit scissæ ecclesiæ mederi. Non est discipulus potior magistro suo, cui abunde satis esse debet, si magistro suo æquetur. Ipse servator noster quum tam indignis contumeliis sit affectus & ad ignominiosum tandem crucis suppliciû condemnatus, pudeat nos, qui ejus sectatores audire cupimus, levioribus malis defatigari. Bene Sidonius Apollinaris: *Velis, nolis, quisquis contemti Mediatoris consequitur regnum, sequitur exemplum. Quantaslibet nobis anxietatum pateras vitæ presentis propinet afflictio, parva toleramus, si recordamur, quid biberit ad patibulum, qui invitatus ad cælum.* Quamdiu Deus, cujus causam agimus, stat à nostris partibus & gratiâ suâ nos prosequitur, ne quidem legiones Dæmonum formidare necesse habemus: tantû abest, ut ullus nobis nocere queat mortalium. Eum nobiscum invocate, studiosi optimi, ut, sicut est Deus pacis, ita mentem pacis studiosam cunctis indere & conatibus nostris irenicis felices successus adspirare propitius velit. Valete. P. P.  
in Acad. Hasso-Schaumb. Dom. XVII, post Trinitatis  
Anno clō Io LXIX.







Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a formal document or letter.























155 443

(X281 8417)

VR

VD17
















27

JOHANNIS HENICHII  
SS. Th. D. & Professoris Primarii  
**PROGRAMMA,**

*In quo adversus*

**DN. D. ÆGIDIUM STRAVCHIVM**  
Professorem Wittenbergensem ostenditur,

**Theologos Rinthelienses eorumque**  
collegas non profiteri religionem  
*versicolorem*



RINTHELII, Typis Godofredi Caspari *Wächter* /  
Acad. Typogr. ANNO MDC LXIX.

